



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schröteli, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Vena Vitæ. a. Fons Signatvs. b. Pvtevs Aqvarvm Viventivm. c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

VENA VITÆ. *a*
 FONSI SIGNATI. *b*
 PUTREVS AQVAVM VI-
 VENTIUM. *c*

IN hortis recreationem augent fontes: sic ubi haberi possunt, vel salientes, per aquæ ductum deriuati, vel sponte ex rupibus manantes, vel scaturientes, vel denique putei effossi vnde aqua hauriri possit ad bibendum, lauandum, rigandum, & varios tandem hortus usus. Omnibus his comparatur B. Virgo. S. Bernardus integrum sermonem scripsit de aquæ ductu in Natiuitate B. Mariæ, & tandem ait; *Aduertistis ni fallor, quem velim dicere Aqueductum: nostis enim cui dictum sit, Ave gratia plena, &c. Vena illa cœlestis descendit per aquæ ductum, vt accipiant cœteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam.*

Ruper-

a Prou. 10.

b Cant. 4. c Ibid.

Rupertus cum B. Virginem compara-
 rasset illi fonti, *a* qui in Paradiso ascen-
 debat & irrigabat vniuersam terram, ita
 ait: *Sic ex te ô Amica, ô Benedicta, fons ille as-*
cedit, qui apud Deum erat, & in te puteum
fecit: ascendit ad irrigandam & instruendam
& excolendam Ecclesiam per vniuersum or-
bem terræ.

Meritò dicere potuit Maria illud Ec-
 clesiastæ: *b Sicut aqueductus exiui de Para-*
diso, dixi, rigabo hortum meum plantatio-
num, & inebriabo prati mei fructum.

Ita Hailgrimus Cardinalis: *c Maria per*
inscrutabilem profunditatem gratiarum,
quæ in ipsa congestæ sunt, dicitur puteus a-
quarum viuentium, hoc est, salientium in
vitam eternam.

Hic fons, ait Gulielmus, *d effundit*
Angelis & hominibus participationem, pro
capto singulorum. Angelis quidem torren-
 te m.

a Lib. 4. in Cant.

b Eccli. 24.

c In. 4. Cant.

d Ibid.

tem voluptatis, hominibus in hac peregrinatione riuulos sanctitatis, & sanitatis.

Et hic quidem præstans noster fons est, sed signatus, non quidem vt ipsius aqua priuemur, quia iugiter fluit, & liberaliter sese omnibus communicat, clausus autem & signatus Tartareo serpenti, qui nunquam hunc fontem inficere potuit.

Præterea fons est Maria, quia genitrix, signatus autem, quia incorrupta. Ita S. Hieronymus. *a* Quod clausum est atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, Matris, & Virginis. Hailgrimus ait, non decuit Verbum nasci, nisi de Matre Virgine, ideo Signatus fons. Item Guilelmus. *Signatus, inquit, fons sigillo Virginitatis perpetuæ, habente imaginem sponsi cœlestis, ex impressione annuli eius. hinc pia illa anima (S. Agnes) annulo, inquit, suo subarrhauit me Dominus meus IESVS CHRISTVS. Nempe tunc Sigillum Virginitatis imagine Sponsi insignitur,*

a Lib. I. aduersus Iouinian.

nitur, cum annulo amoris eius imprimitur, & tamdiu Sponsi seruat imaginem, quamdiu Virginitas Sponso custoditur.

Est ergo Maria puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de libano; aliunde ortum habent a Quoniam apud te est fons vitæ, clamat David: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. b in cœlis ergo origo. Ego Sapientia effudi flumina. c Affirmat Ioan. in Apocalypsi 7. quod in cœlis Agnus, qui in medio throni est, deducet iustos ad vitæ fontes. Et filius Dei in templo clamat, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. d Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aqua viua. De Spiritu sancto autem canit Ecclesia, Fons viuus, ignis, charitas, Maria autem canalis est, plenus gratia, per quam Deus effundit se, & toti Mundo sese liberalissimè communicat. e Ergo omnes sitientes venite ad has aquas.

a Cant. 4. b Psal. 35, & 41.

c Eccli. 24.

d Ioan. 7. e Esa. 55.

aquas, quæ saluunt in vitam æternam, hoc est desideria excitantur collium æternorum. a
 Fontes per canales deducti ascendere possunt ad illam vsque altitudinem, vbi originem habent: Quia ergo hæc aqua in cœlis originem habet, eò etiam pondere suo eleuat bibentes ex ea. Ergo qui sitit veniat, & qui vult accipiet aquam vitæ gratis. b

a Ioan. 4.

b Apoc. 22.

PIÆ CONSIDERATIONES.

E.

DE hoc fonte hortorum, & puteo aquarum viuentium, gratulatur sibi Ecclesia. Nullus sitibundus excusationem prætexere potest. Auditur vox clamantis: a Omnes sitientes, venite ad aquas. Et gratis quidem offertur.

a Vndi-

a Esa. 55.

a Undique erumpit hic fons, & scaturit, indicans copiam, & liberalitatem.

2.

Animaduerto autem sitientes inuitari. Qui non sitit, & non auidè cupit, de hoc fonte bibere, non est aptus regno Dei, implicite contemptus videtur. Qui enim ea, quæ gratis offeruntur, non acceptat, quasi contemnere censetur. Sitimus aliquando noxiè, & bibimus ex paludibus, & cœnosis lacunis, neglecto fonte aquæ viuæ, magno nostro damno.

3.

Ex canali deriuatur aqua ad varia loca in hortis, & pratis, sed non sine aliquo conatu & labore. Fodiendum est, sulci ducendi, hos aqua sequitur. Itaque & preces, & Virtutum exercitia adhibenda, vt aliquid gratiarum ex hoc fonte auferamus.

4. Accur-

2 Apoc. 12.

4.

Accurrat sitibundus, & æstuans, refrigeret se, licet. Accedat sordidus, & lauet se. accedant infirmi, & hauriant salutem, nam & medicinales sunt hæ aquæ. Superfluit fons, & ad varios vsus se liberalissime offert.

5.

Si seruus Abraham ad fontem aquæ dubius stans, & omen bonæ mentis, & humanitatis, & liberalitatis sumpsit ex eo, si aliqua puella aquam inde auferens, libenter, ei petenti, haustum præbeat, & vltro etiam pro Camelis eius offerat, (quod Rebecca tunc fecit, puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro) quantam opinionem summæ benignitatis, & liberalitatis nos habere decet, de hac nostra Rebecca, quæ omnibus indiscriminatim, de plenitudine sua, offert aquam viuam, clamans & inuitans omnes!

6. Ad

a Gen. 24.

6.

Ad preces & benedictionem Elisei
oleum pauperulæ illius viduæ multi-
plicatum est, & iugiter fluxit, quamdiu
vasa vacua substituit. Quis verò dubitet
hunc canalem ab ipso Deo benedi-
ctum, perenni aqua completurum om-
nia pia vota, & desideria, quotcunque
ei proponemus, & quascunque tandem
gratias ab ea petamus? Et fortassis my-
sterio non caret, quod vidua illa ex
mandato Elisei, clauso ostio oleum col-
ligere debebat. Decet etiam nos in silen-
tio, & magna animi quiete, colle-

ctisque sensibus nostris

hac vena vitæ

frui.

ORA-

O R A T I O.

O Pijissima Virgo Maria , *ecce anima mea sicut terra, sine aqua tibi: ad fontem aquæ viuæ anhelō ; quia aruit tanquam testa virtus mea.* O si cum Moyse petram virga percutere, & aquam eliceret. Non est tibi cor saxeam dulcissima Virgo , noui viscera maternæ, molliora sunt, & ad dandum prona. Ecce cum Agno illo scalpo , & fodico cor tuum, de sub cuius pede fons viuus manabat ad preces famuli tui Clementis. *Audio Moysen & Aaronem humi stratos, clamantes, Domine Deus, audi clamorem populi huius, & aperi eis thesaurum tuum aquæ vitæ: His ipsis verbis ad te clamo, O clemens, & pia; fons signatus es fateor, non tamen ita clausus, qui instar summi boni in tuos saltem liberalissimè te effundas. Memini te olim à dilectissimo Filio tuo egentibus vinum impetrasse; Ecce, non*
vinum

& Num. 20.

GLORIA HIERVSAL. 229

vinum ego, sed aquam humillimè peto,
non de cisterna illa Bethleemitica, de
qua Rex David se refocillare cupiebat,
sed de fonte aquæ viuæ, cuius tu canalis
es: Ah deriua in cor meum aquas salien-
tes in vitam æternam: impetra mihi irri-
guum superius & inferius, vt ros, & im-
ber cœlitus terram cordis mei fœcun-
dent, & riui hortum animæ meæ transe-
ant de fontibus Saluatoris. Quæ in cælis
coronata triumphas in omnem æterni-
tatem, Amen.

CLYPEVS OMNIBVS IN TE
SPERANTIBVS.

Vide in Lauretanis. Tit. Turris Dau-
dica. fol. 85.

GLORIA HIERVSAL-
LEM. a

Illa Iudith in multis ymbra fuit no-
stræ
a Iudith. 15.